

DE VSV THEOLOGIE NATVRALIS.

§. I.

**H**actenus, quæ ad fundamentalem religionis naturalis cognitionem pertinent, qua fieri potuit brevitatem & nexu tradidimus, restat, ut eadem applicemus, & quænam aliæ inde dependeant veritates ostendamus. Hunc in finem observanda sunt prius sequentia axiomata,

I. *Quod sana religio nunquam absurda & perniciosa suadere possit, quia docere debet ea, quæ Deo sapienti, benigno & justo grata sunt.*

II. *Quod proinde sana religio injungere debeat, ut erga alios justitiam & æquitatem observemus.*

III. *Quod sana religio legibus naturalibus & civilibus optimum conferat firmamentum & robur addat ingens, dum inculcat Dei amorem, obedientiam & reverentiam.*

IV. *Quod sanæ religionis natura omnem humanam respuat coactionem, dum solum Deum intellectus & conscientie dominum agnoscit.*

V. *Quod sana religio monstrare debeat media perveniendi ad veram & solidam felicitatem, quoniam in ea colitur Deus benignus & potens, qualis non potest non eorum, qui ipsi sincere serviunt, felicitatem procurare, eisdemque media salutis ostendere.*

VI. *Quod sana religio eademque perfectissima debeat omnia Deum possidendi media ostendere, quia*